BRUNO DE SEGNI

Oberitalien, 1. Hälfte 14. Jh.

Seite 171r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

et caro unus est homo ita deus et homo unus
est christus. Dominus inquit et divinitas ipsa que
in me est dedit michi linguam eruditam.
Omnis enim sapientia a domino deo est. Non
est igitur mirum si illa persona sapiens est que
simul cum deo una est. Ut sciam verbo doctrine
mee sustentare eum qui lapsus est. Ut sciam
consolari eos qui in merore positi sunt. Ideo
peccatoribus predico penitentiam et peniten
tibus indulgentiam. Ego tamen quamvis haberem
linguam eruditam silui tacui non respon
di. Sciebam enim scriptum esse. Ne responde
as stulto secundum stultitiam suam. Ideoque divi
nitas docens et instruens humanitatem eri
git mane mane erigit michi aurem ut se quasi
magistrum audiam sibique quasi doctori obediam.
Itaque insano populo clamanti et rogantI cru
cifige crucifige ingeminanti nichil respon
deam. Dominus deus qui voluit ut silerem
et quasi agnus ad victimam ductus non re
sponderem ipse aperuit michi aurem ut me il
ludentes me blasphemantes me iudicantes
me contempnantes audirem. Ego autem
non contradico. Neque illis insanientibus neque
patris voluntati cui usque ad mortem autem
crucis obediens factus sum. Retrorsum non abii
nusquam fugi immo venientibus obviam proces
si. Qui etiam mea voce prostrati abierunt retror
sum et ceciderunt in faciem suam. Corpus
meum dedi percutientibus et eos qui me flagel
labant patienter sustinui et genas meas vel
lentibus. Cui ipsi ministri principis sacerdotum
alapas dare non timuerunt. Faciem meam non
averti ab increpantibus et conspuentibus. Hec autem
in evangelio plenissime continentur. Sed quia
dominus deus semper est auxiliator meus. ideo
non sum confusus. Ideo etiam posui faciem
meam ut petram durissimam. Ut inter tot ob
probria patienter omnia ferens non erubescerem.
Et scio et certus sum quia non confundar. Con
fundantur autem qui me persequuntur et non
confundar ego.

Iuxta est qui iustificat me quis contradicet
michi. Stemus simul quis est adversarius
meus. accedat ad me. Ecce dominus deus auxili
ator meus. Quis est qui condempnet me. Ec
ce omnes quasi vestimentum conterentur tinea co
medet eos. Quis ex vobis timens dominum
audiens vocem servi eius. Qui ambulavit in
tenebris et non est lumen ei. Speret in nomine
in nomine domini et innitatur super deum suum.
Dicatis inquit o iudei quia secundum legem debeo
mori dicatis quia me invenistis populum sub
vertentem dicatis pylato si non esset hic malefac
tor non tibi tradidissemus eum. Sic dicatis sic iudi
catis. Recte iudicate filii hominum. Iuxta est
qui iustificat me. In me est ille iustitie iudex
qui legem composuit qui vos dampnat et me
iustificat. Quis enim contradicet michi. Quis
hoc negat esse verum. Stemus simul pariter
loquamur. Ecce enim iudex adest et ego presto
sum. Quis est adversarius meus accedat ad
me accessisti audisti neque enim suspectum hunc
iudicem debes. Quid iudicaverit qui parti favit.
Ecce manifestum est quia dominus deus auxi
liator meus. Qui semper iniustos dampnat. Qui
numquam iustitiam impugnat. Quis est igitur qui
condempnet me. Semel enim huius iudicis prola
ta sententia. Nullus restat locus iudicii. Non
enim nisi semel iudicat. Quocirca omnes qui
me iniuste dampnaverunt quasi vestimentum
conterentur. A quo tinea comedet eos. Hec est
illa tinea de qua dicitur. Vermis eorum non morietur
et ignis eorum non extinguetur. Quis ex vo
bis timens dominum audiens vocem servi eius.
Quis ex vobis hec audivit et audiendo timorem
domini compunctus est. Quis usque hodie am
bulavit in tenebris et non erat ei lumen. Qui
Regem tenebrarum secutus eum qui est lux
mundi est persecutus. Misericors sum consilium
do convertatur et peniteat. Et speret in nomine do
mini quia non moretur. Nolo enim mortem pec
catoris. Sed magis ut convertatur et vivat. Et
innitatur super deum suum. Qui a terris exalta
tus omnia trahit post se. O magna dei poten
tia. O ineffabilis misericordia qui suis persecu
toribus veniam promittit et eos qui illum cruci
fixerant super se minui volens portare non dedig
natur.

Ecce omnes vos accendentes ignem ac
cincti flammis ambulate in lumine
ignis vestri et flammis quas succendistis. De ma
nu mea factum est hoc vobis. In doloribus dor
mietis. Dixi vobis ut converteremini et penitentiam
ageretis. Sed ut video vos econtra peccata pec
catis addentes ire et indignationis atque de
structionis ignem accendere non cessatis. Ergo
quia ignem succendistis et me ad iram provo
catis accincti superbie et iniquorum flammis
que vos sine fine incendere habent in ambula